



Samelbd.

0/0

die,

SV
PVRIORIS
RELIGIONIS
ENCAENIA

CELEBRAT
LYCEVM TORGAVIENSE
ORATIONIBVS QVATVOR IUVVENVM

BONAE INDOLIS

AD QVAS

BENIVOLE AVDIENDAS

HVMANISSIME INVITAT

M. CAROLVS HENRICVS SINTENIS

RECTOR.



TORGAVIAE, LITERIS RVIDELIANIS.

1772

IVRIORIS
RELIGIONIS
ENCYCLICA

CELEBRAT

LICEVM TOROAVENSIS
CATHEDRAE QVAE TOROAVENSIS

BOVAE INDOLIS

AS QVAE

REINOLDI ANDREAS

REINOLDI ANDREAS

M. CAROLVS DE HILVE STEPHANVS



Prioris religionis Encaeniorum, illiusque instaurationis memoriam renouandam cum nonnullis fidei et institutioni nostrae commissorum, quo magnitudo et nunquam satis aestimanda huius beneficii diuini praestantia illis in iuuentute magis magisque innotescat, celebraturus, succinctam hanc commentationem, ut publica crastino eoque auspiciatissimo die instituenda in dicendi facultate exercitatio rite indiceretur, in lucem conspectumque emisi. Vaticiniorum, quibus in uniuersum sanctae reuelationis auctoritas et origo diuina, tanquam grauissimo et maiestatis plenissimo argumento, innixa stabiliatur, nonnulla huius esse rationis, illorum ut complementum partim ad nostram usque aetatem duret, partim ad illam spectet, neminem, nisi hospitem et peregrinum oraculorum diuinorum, fugit. Iudaeorum in omnes regiones dispersio, et Hierosolymorum deserta et fere inculta regio, cum pristino dignitatis ornamento et stabilitatis praesidio priuata infrequentior et fere neglecta iaceat, exemplum praebet vaticinii, cuius complementum ex maledictione, qua Deus unquam rursus illam urbem exaedificari interdixit, pristinumque splendorem consecuturam negauit, ad nostram usque aetatem durat. Omnes

vero religionis sanctissimae friuoli et ieiuni contemtores, qui sibi indulgendo, et oracula diuina vel detorquendo, vel irridendo, religionem sibi fingunt, quam velint, quorumque infelix aetas nostra magnum tulit prouentum, respondent notatu dignissimo vaticinio, quo postremis temporibus ingens istorum a Christo mediatore praedicitur numerus. Eiusdem conditionis vaticinium, quod ad nostram aetatem spectet, in sacrarum literarum monumentis consignatum deprehendi Zachar. XIV, 7.

והיה לעת-ערב יהיה אור

Hoc vaticinium commentatores diuerso modo, pro difficultate, qua laborare videtur, interpretati sunt. Liceat mihi ad illorum partes transire, qui his vocibus vaticinium de temporibus instauratae per Lutherum religionis purioris contineri sibi persuaferint. Argumentis meis quantum insit roboris, diiudices, lector benivole.

Diuerso modo, ut dixi, commentatores hoc Zachariae vaticinium interpretati sunt. Praecipuarum, quas puto, explicationum ante omnia mentionem faciam, quibus vero examinatis, illorum sententiam comprobare studebo, qui putant, Spiritum sanctum hoc in vaticinio temporum nostrorum, ob instauratam religionem puriorem felicissimorum, rationem habuisse. Ad primum igitur quod attinet, triplex in primis huius vaticinii explicatio commemorari meretur. Sermo est, ut e contexta orationis serie elucet, de vespera quadam post aduentum Domini Messiae. Omnes interpretes conueniunt, a proprietate vocum אור et ערב ob usum loquendi biblicum hic esse recedendum, hinc omnes improprie illas explicandas suadent. Sed quo facilius in eo consentiunt, eo maiores contentiones ortae sunt inter eos in determinanda illa significatione tropica. Sunt nimirum nonnulli, qui vocem ערב de temporibus postremis veteris testamenti interpretentur, alii de temporibus noui foederis in genere, alii denique de iudicio extremo illam assumere malunt. Vocem vero אור nonnulli liberationem a persecutionibus et calamitatibus, non-

nulli dissipatas in religione tenebras, opinionesque in illa praconceptas, immo ignorantiae nebulas dispulfas, indicare sibi persuasum habent. Nihil enim, cum Christus ipse temporibus nouissimis, facta illorum cum temporibus Noachi comparatione, fidem in terris se reperturum neget, de Chiliaftis dicam, qui multa deliramenta hic somniant, regnum Christi per mille annos sperantes. Quot vero et quantas contentiones hae voces mouerint, tot quoque et tantas lites excitauit aduentus Domini, in commate s. promissus, qui vesperam hanc, et lucem, tempore vespertino tenebras dissipantem, antecedit. Nonnulli interpretum, et in specie illi, qui vocem ערב de temporibus postremis veteris testamenti, et vocem מחר de liberatione a persecutionibus et calamitatibus intelligunt, de aduentu Messiae ad ferendam opem tempore Iudae Maccabaei, Zacharias quin hic vaticinetur, non dubitant. Praeter Iudaeos fauet huic interpretationi Grotius, et ex papae affectis Cornelius a Lapide. Dicunt, Iudaei a vinculis Babylonicis solutis, libertate donati et reduces in patriam cum urbem, muros, et templum restituisent, a Regibus Aegyptiacis et Syriacis, in primis ab Antiocho Epiphane crudelissime vexabantur, quo fiebat, ut cum die sabbathi arma contra hostes capere nollent, a Maccabaeis, vel Asimonaeis de tribu Leui, et postea in primis a Iuda Maccabaeo, foedere cum Romanis icto, ab hostium persecutionibus vindicarentur. Quo igitur tempore cum Messias excitaret virum aliquem, qui anxii et ingentibus calamitatibus fere submersis Iudaeis, et templo rursus extruendo opem ferret, indidem Messiae ipsius aduentum et lucem aliquam Iudaeis a propheta hic promitti, inter hos interpretes constat. His omissis, aliorum commentatorum in explicando hoc vaticinio memores simus, et in specie illorum, qui vocibus *vesperae* et *lucis* tempora noui foederis, et dissipatas in religione umbras denotari censent. Hi aduentum Domini, assumtis humanae naturae dotibus, Iudaeis in fide in Messiam perseuerantibus a

propheta luculentissimo solatiique plenissimo vaticinio promitti
 contendunt. Osiander in primis et Balduinus hunc sensum pro-
 missioni prophetae tribuunt. Negari, dicunt, non potest, omne
 religionis solatium, omnesque illius promissiones veteris testa-
 menti sacrificiis, typis, aliisque caerimoniis et ritibus solemnibus,
 quasi densissima caligine, fuisse inuolutas, quae saepe impediun-
 rit, quo minus gratiae diuinae dona, cum vaticinium quodecun-
 que ante complementum aliqua saltem obcuritate labore, post il-
 lud vero maior ei claritatis gradus accedat, Iudaeos sub tot tantis-
 que calamitatibus ingemiscences eodem solatio, quo nos Christia-
 ni felicioribus noui foederis temporibus freti omnem afflictionum
 acerbiteriam vincimus, erigere potuissent. Has vero umbras lux
 Euangelii saluberrima, tanquam sol exorians, dissipauit, et diu-
 nitus exorta salutari suo fulgore ignorantiae procellas dispulit,
 ita, ut nos a coecitate spiritali liberati, et institutione Euangelii
 imbuti, non tantum spem, quam potius fiduciam in merito Chri-
 sti, et parta ab illo salute collocatam habere, quid? quod, aditu ad
 gratiam Dei patefacto, illius auxilii maiori certitudine persuasi ef-
 fe possimus. Haec vaticinii interpretatio mihi videtur vero simi-
 lior. Restant vero adhuc alii, et quidem illi, qui vocem עו de iu-
 dicio extremo, vocem vero אור de aeterna et perpetua beatitudi-
 ne, omnis vicissitudinis et commutationis experre, explicant. Putat
 nimiram Cocceius et Wigandus, aduentum Christi nouissimum hic
 a propheta intelligi, quo omnes ecclesiae persecutiones cessarent,
 et singulorum fidelium calamitates cum statu felicissimo et tran-
 quillitate nunquam turbanda commutarentur. Interpretationem
 hanc in primis exiade confirmari confidunt, quia non videatur in-
 conueniens, cum in commate 4. de ascensione Christi e monte O-
 liueti in caelum actum fuerit, reditum Christi ad iudicium com-
 memorari, quemadmodum angeli in monte Oliueti de eo conciona-
 ti sint: $\text{\u0395\u03c4\u0399\u03a3 \u0391 \u0399\u03b7\u03a3\u0399\u03a3 \u0394 \u0391\u03bd\u0391\u03bb\u03b7\u03a6\u0397\u0399\u03a3 \u0391\u03a6 \u0395\u03bc\u0399\u039d \u0395\u0399\u03a3 \u03a4\u0391\u03a9\u039d \u0391\u0393\u0391\u039d\u0394\u0391\u03a9\u039d, \u0395\u03a4\u0399\u03a3 \u0395\u039b\u0395\u03a5\u0399\u03a3\u0391\u03a4\u0397\u0391\u03a3 \u0391\u03a0\u0391\u03a9\u03a4\u0391 \u0394\u0395 \u03a4\u0395\u03a1\u0391\u03a4\u0399\u03a3 \u0395\u0394\u0397\u0391\u03a3\u0391\u03a3\u0399\u03a4\u0391\u03a3\u0395 \u0391\u03a5\u03a4\u0391\u03a9\u039d \u03a0\u0391\u03a1\u0395\u03a3\u039c\u0395\u03a3\u0391\u03a9\u039d \u0395\u0399\u03a3 \u03a4\u0391\u03a9\u039d \u0391\u0393\u0391\u03a9\u039d.}$

Prae-

Praecipuis his vaticinii nostri interpretationibus enumeratis, namquamque illarum accuratius nunc perferentur. Omnium, quas recensimus, prima sententia haec fuit: vaticinatur propheta de aduentu Messiae ad opem templo ferendam temporibus Iudae Maccabaei. Huic interpretationi partim contexta orationis series, partim historiae monumenta repugnant. Series vaticinii concatenata illi aduersatur, quia sermo est de temporibus post Christi natiuitatem. Nam in capitibus antecedentibus IX, XI, XII, XIII, egit propheta de aduentu et perpeffionibus Christi. Quam inconueniens igitur esset haec narrationis interruptio, quam inconcinne facta aduentum Christi antecedentia miserentur eum subsequentes! Urbis Hierosolymorum expugnatio, cuius certitudinem in commate 2. huius capituli praevidit propheta, incidit in tempora Titi, nequaquam vero Antiochi Epiphanis. Ex ipsa demum historia maior adhuc oritur repugnantia. Nusquam enim in eius monumentis legitur, tempore persecutionum Syriacarum dispersionem Iudaeorum esse factam, cuius tamen in capite XIII, 8. mentio fit. Hinc sententiae huic calculum adicere nequeo, spectat vaticinium ad tempora novi testamenti, et initium huius capituli ad cladem Iudaeorum post Christi ascensionem est referendam. Sic fortasse illi interpretes, qui hoc vaticinium de temporibus novi testamenti in genere, et de dissipatis aduentu Christi umbris caerimonialibus explicant, fide digni sunt? vero similitudinem illorum videri vaticinii enucleationem, supra iam confessus sum. Posset nimirum omnino de temporibus novi testamenti intelligi, quia vaticiniis de Messia, eiusque regni gratiae spiritali prosperitate impletis, noua lux est orta, cuius splendor pristinas dispulit tenebras, ita, ut tempora, in quae aetas nostra cecidit, sacrificiis et typis vero sacrificio et antitypis sublatis, nostraque fide saluberrimis promissionibus, quibus euentus respondit, corroborata, longe praestantiora et feliciora sint existimanda. Nihilominus tamen secius verbis antecedentibus impediatur, quo minus huic in-

ter-

terpretationi subscribendum putem. Dicitur nimirum in antecedentibus hic dies, de cuius *vespera* hic sermo est, Deo tantum notus. Lubenter quidem largior, hic neque naturalem, neque civilem diem, sed ex usu loquendi biblico tempus quoddam in genere, nulla determinatae diurnitatis ratione habita, intelligi, luculentissima tamen de aduentu et natiuitate Messiae, et sic etiam de initio noui testamenti uaticinia inter Iudaeos exstabant, quomodo igitur hoc tempus, quo Christus, natura humana assumpta, in terris habitaret, Deo soli potuit nominari notum? eratne uaticinium, quo Messias prius venturus promittebatur, quam auferretur sceptrum de Iuda et legislator de pedibus eius, quid? quod, eratne uaticinium Danielis septuaginta hebdomadam tam luculens, tamquam perspicuum, ut tempus natiuitatis Messiae et initii noui testamenti extra omnem dubitationem in veteri testamento esset positum, et certissime determinatum? Quodsi vero contra horum uaticiniorum perspicuitatem concessissem tempora, natiuitatis Messiae Deo soli in veteri testamento fuisse cognita, nihilo tamen minus haec uaticinii Zachariae interpretatio, qua de temporibus noui testamenti in genere explicatur, mihi non satisfaceret. Cecinit propheta, diem quendam futurum, qui Deo sit cognitus, cuiusque tempore vespertino lux oriretur. Quodsi igitur interpretes *diem* hunc futurum de temporibus noui testamenti in genere explicant, quid de huius diei *vespera* statuam, non video. Quamquam enim haec vox non proprie sumatur, in oppositione tamen diei, tempus quoddam remotius denotet, necesse est. Sed nunc illam interpretationem, qua de temporibus nouissimis hoc uaticinium explicatur, cuiusque supra postremo loco mentionem fecimus, ut videamus, num consilio prophético respondeat, diiudicemus. Originem habuit partim exinde, quia non inconueniens visum est, cum in commate 4. de ascensione Christi e monte Oliueti in caelum actum sit, reditum Christi ad iudicium commemorari, partim vero etiam exinde, quia Marc. XIII, 32. legitur:
diem

diem extremi iudicii ne Christo quidem esse cognitum, inde confirmari putant; die prophético, Deo soli cognito, significari tempus iudicii extremi. Sed valde inconueniens mihi videtur saltus ille a tempore perpesionum et ascensionis Christi ad tempora nouissima in vaticinio, quod spectat ad ecclesiae futurae felicitatem et Christi exaltati praesidium. Cui accedit, locum e Marco citatum nihil probare, propterea quod hae voces *ἐδὲ ὁ υἱὸς* neque in codicibus antiquissimis et probatissimis, neque in loco parallelo Matth. XXIV, 36. legantur, quam ob rem Thummius illas repudiari maluit, quid? quod, saltim ad hoc Zachariae vaticinium non referendus esset locus Marci, ob nomen *יהוה* Dei essentialia. Quod si vero etiam concessissem, tempus iudicii extremi hic intelligi, quanta vis commatibus sequentibus esset inferenda!

Nihil igitur superest, quam ut alia interpretatione, cum omnium horum interpretum explicationes mihi non probentur, hoc Zachariae vaticinium collustrem. Inficias ire non possum, WINCKELMANNI aliorumque interpretum sententiam, qua hoc vaticinium ad tempora instauratae per LUTHERVM religionis purioris referant, eximie mihi placuisse. Illorum vero libros cum euoluere mihi non licuerit, rationes sufficientes et argumenta, quibus explicationem hanc comprobarint, proferre nequeo. Ipse igitur operam dabo, ut argumentis hanc interpretationem suffulciam, ex contexta vaticinii serie et historia desumtis. Quod si caput integrum adhibita diligentia cum antecedentibus comparaueris, animaduertes, cardinem illius in describendis ecclesiae noui testamenti satis post Christi perpesiones versari. In fine igitur commatis cum aduentus Christi mentio fit, non de eius natiuitate, de qua propheta iam in capite IX, 9. locutus est, sed de aduentu spirituali in statu exaltationis glorioso sermo est, qui in illa caderet tempora, quibus nulla lux, sed frigus, et postea neque dies, neque nox

B

in

in ecclesia foret, ita tamen, ut tempore vespertino, vel temporibus post hunc Christi aduentum spirituales, lux in ecclesia oriretur, cuius splendore omnes tenebrae disiparentur. Omnes has voces, per translationem sumendas, optime explicat historia, nuncia veritatis. Constat nimirum ex illius monumentis, temporibus decem persecutionum hostes religionis Christianae infensissimos, refrigerante caritate, omnique humanitate abnegata, nescio in quas, belluas fuisse commutatos, et exquisitissimis atrocissimisque suppliciis permultos, immo fere innumeros homines, veritate religionis Christianae, agnitis et eiuratis idololatriae erroribus, ad confessionem nominis Christi coactos, affecisse, ita, ut hi religionis Christianae praestantiae testes, causa iusta freti, crudelissima acerbissimaque nece religionem obsignarent atque confirmarent. Hae quidem persecutiones, quas propheta ob extinctum et refrigeratum caritatis ardorem, cum frigore comparat, ut ecclesiasticae historiae monumenta produnt, temporibus Constantini M. cessarunt, sed ortu papatus lux Evangelii ita obscurabatur, ut neque dies neque nox esset in Ecclesia. Non erat in Ecclesia dies. Quamquam enim MAIMBURGIUS in libro, qui inscribitur: *L'histoire du Lutheranisme*, religionis purioris instaurationem necessariam fuisse, negat, nihilo tamen minus status Ecclesiae tunc temporis certe miserrimus, quodsi etiam neque publicis totius Germaniae querelis, neque ipsius papae de necessitate emendationis disciplinae ecclesiasticae confessioni fidem haberes, ex tot scriptis, ab utraque parte illis temporibus in lucem editis, tam luculenter inter omnes constat, ut plane superfluum esset, rem tantam multis testimoniis comprobari. Quanta morum peruersitate homines corrupti erant! quanta coecitate membra Ecclesiae in articulis fidei fundamentalibus laborabant! doctrina saluberrima de feria vitae emendatione, doctrina de fide, de peccatorum remissione, de vero Deum inuocandi modo, de bonis operibus illorumque

que vi et grauitate in impetranda salute aeterna, et de legitimo sacramentorum usu tot tantisque erroribus erat permixta, tamque nocturnis quasi tenebris inuoluta, ut homines superstitione capti vix ac ne vix quidem album a nigro distinxissent, neque, ut cum Luthero loquar, persuasi a sacerdotibus, foenum et calamos stramineos manducare recusassent. Nequaquam vero *nox* erat in Ecclesia, quam propheta etiam in vaticinio negat, quia aliquid lucis habuit ob relictam aliquam Christi et religionis notitiam. Gentium enim profanarum, quae soli sibi relictæ rationi dicto audientes omnis notitiæ salutiferæ expertes sunt atque priuatae, et Iudaeorum, qui temporibus veteris testamenti sacrificiorum typorumque caligine premebantur, ratione habita, Ecclesia Christiana, discussis ab Euangelio tenebris, aliqua saltem luce fruebatur, quae, sicut sol in occasu finientes tangens, aliquot saltem radios spargebat. Sub *vespera* vero, vel temporibus sequentibus, instaurata per LVTHERVUM religione, lux rediit, h. e. sanioris scripturae sacrae interpretationis ope LVTHERVS veritatem ex tenebris papatus reuocauit. Principes a iugo seruitutis papae ignominioso liberatos sapientissimum ciuium gubernandorum edocuit modum, ipsis vero ciuibus pietatem et reuerentiam magistratui debitam iniunxit, parentibus, liberis, et seruis, ad stabiliendam salutem domesticam, mutua commendauit officia, ita, ut, emendata morum peruersitate, homines fingeret atque formaret multo honestiores. Id vero quod maximi est, saluberrima et saluti impetrandae maxime inferuentia religionis Christianae praecepta ab omni papatus corruptione, tanquam aurum a scoriis, segregauit, scripturam sacram, innumeris in explicando erroribus conspurcatam et contaminatam, ab omni illata iniuria vindicauit, et, propulsis denique ex coetu sanctiori opinionibus humanis, eandem lucem reduxit, cuius splendore primi Apostolorum discipuli et pristinae Ecclesiae ciues erant gauisi. Indidem propheta etiam in commate 8. aquas vivas

ex urbe Hierosolymorum in posterum profluentes praedicat, quae nihil aliud, quam dulcissimam et incorruptam Euangelii doctrinam, immo omnem spiritualem ex illa oriundam felicitatem denotant. Hae aquae, temporibus papatus calamitosissimis quasi exsiccatae, instaurata religione puriori ex urbe Hierosolymorum profluentes, dicuntur, quia in hac urbe prima vox Euangelii est audita, nunc vero per multas regiones irrigant, sitimque nostram spiritualem extinguunt atque delent. Haec sunt argumenta, quae pro hac vaticinii interpretatione, qua de temporibus instauratae religionis purioris explicatur, hac in succincta commentatione *de luce tempore vespertino tenebras dissipante* examini tuo, lector beniuole, subiicere constitueram.

Gratias vero pro hac luce Deo O. M. persoluamus, quas possumus, maximas. Luculentissimum certe praesidium et tutelae clementissimae, cui commendatam habeat Ecclesiae salutem, exhibuit documentum, ita, ut animi ingrati immo obrusi animadversione nos dignos redderemus, illam nisi agnoscere, agnitamque iustissimis et summis praedicare studeremus laudibus. Calamitosissima Ecclesiae sub crudelissima papatus tyrannide conditio, superstitionis abominandae caligo densissima, sacrarum literarum ignorantia perniciosissima, et coeca in assumendis quibuscunque opinionibus humanis obedientia tempora religionis purioris instauracionem antecedentia in historiae monumentis reddidit commiseratione dignissima. Prouida vero Numinis cura ex ingentibus his calamitatum fluctibus Ecclesia prospere est emersa, ciuesque eius, a iugo seruitutis papatus ignominiosae, et a periculo superstitionis coecitatisque spiritalis per LVTHERVUM liberati, luce fruuntur iucundissima, cuius splendore via felicitatis spiritalis sic collustratur, ut illam ingressi metam praefixam certissime consequantur. Quot quantaque igitur sunt argumenta, quibus com-

moti

moti gratias pro luce hac tempore vespertino tenebras disspante
 non tantum habeamus, quam potius agamus! Quo modo vero hae
 gratiae, felicitatis nostrae aeternae auctori ut placeant, sunt perfol-
 uendae? gloriando de luce Evangelica, in illa ambulando, et bene
 de illa sperando. Gloriamur igitur de doctrina Evangelii per Lu-
 therum repurgata, propterea quod felicitati nostrae tantus accessit
 cumulus, ut iu e merito hie ardentissimum: Lutheri in illa instau-
 randa studium nomenque eius concelebrari mereatur. Ambulabi-
 mus vero ex mente Paullina in luce Evangelii induendo Christum,
 et veniam concedendo erroribus vitae focii. Induimus Christum,
 (quilibet huic dicendi formae ignoscit, quem non fugit locus VA-
 LERII MAX. lib. I. ubi Brutus, ut in filii interficiendis Confulem
 ageret, patrem exuisse dicitur,) secundum vitae regulam Rom.
 XIII, 14. nobis praescriptam, studio in viuendi ratione exercitan-
 disque virtutibus imitatione illum consequendi. Simul vero Gal.
 VI, 2. nos cohortatur Faullus: ἀλλήλων τὰ βάρη βασάζετε, καὶ ἕτως
 ἀναπληρώσατε τὸν νόμον τῆς Χριστοῦ. De Euangelio denique bene spe-
 ramus, dicentes cum Dauide: Deus est fiducia nostra, nostrumque
 robur, vel confidentes, Deum omnes Euangelii, eiusque doctri-
 nae instauratae hostes et inimicos vel propulsurum esse, vel con-
 uersurum.

Nonnulli etiam discipulorum nostrorum, et pietate et indu-
 ftria magistris suis probatorum, crastino die Deo O. M. gratias a-
 gent orationibus, quas ipsi elaborarunt, publicis. Dicit nimirum:

- I. IOANNES GEORGIUS SCHUILERTVS, Torguiensis, de
generosa animi LVtheri magnitudine. Oratione latina.
- II. CAROLVS FRIDERICVS BENIAM. HAFERVNGIVS,
 Schoenewaldensis-Misnicus, de *splendido religionis per LVTHE-
 RVM triumpho.* Carmine germanico.

III. IO.

III. IOANNES CHRISTIANVS SIGISM. SINTENIS, Ser-
vesta-Anhaltinus, *de grauissimis LVTHERI persecutionibus*, ora-
tione latina.

IV. IOANNES CHRISTIANVS RICHTERVS, Neidenfis Mis-
nicus, *de saluberrimis instaurationis religionis purioris fructibus*.
Oratione germanica.

Quorum industriam ut PATRONI ET AMICI Musarum nostrique
Lycei sua praesentia, mihi perhonorifica, excitare, eosdemque ora-
tores iuuenes eras, audita hora IV. finitis sacris pomeridianis, be-
nivolae audire velint, humanissime rogo. Dedi Torgaviae,
Prid. Cal. Nouembr. A. O. R. MDCCLXXII



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112



TA → SL
Nov 75 fkt 1

R

VD 17





EM

LY

ORAT

M. C

7

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color


Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

Inches



SX

IS
NIA

VIENSE
IVVENVM

DAS

SINTENIS

LIANIS.

